



UC-NRLF



QUAESTIONES TERENTIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET


PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

KONRADUS BRAUN


BREMENSIS.



GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXXVII.



Quod omnes fere Romanorum comoediae palliatae poetas facere videmus ut non solum repetant argumenta a Graecis fabularum scriptoribus, sed etiam totas recentioris quae dicitur comoediae fabulas ne uno quidem mutato versu convertant, ut *ardentes iuvenes raptasque in amorem puellas elusosque senes agilesque per omnia servos* etiam Graecorum habitu atque veste, toga posita, sumpto pallio induant, solam linguam a suis petant, ab eo more ne Terentium quidem cum Plauto de primo loco contendentem discessisse satis notum est. Neque hoc ei vitio datum est; namque inveniri argumentum fabulae veteres non tanti aestimabant quanti bene describi atque exponi argumentum neque unde esset petitum neque cuius esset generis quidquam curantes. Qua de re omnium quae nobis relictae sunt fabularum semper fere eadem inter se sunt argumenta. Neque Terentius petiisse a Graecis se argumenta neque Menandri fabulas transtulisse negat: In Andriae, Eunuchi, Heautontimorumeni, Adelphon prologis, ex quibusnam fabulis Graecis sua petierit, prae se fert.

Quae quum ita essent, fieri potuit, ut summa Terentio in comoediis scribendis a veteribus tributa sit laus nec non iam populo spectanti fabulas praeter Hecyram omnes valde probaverit [1]). Maxime laudaverunt artem eius in dicendo cum nullo modo effusam omnique humili et sordida dicendi ratione carentem tum eleganti sermoni simillimam [2]). Quamquam eo ipso eius puri sermonis studio factum est, ut desideraretur in eo virtus comica atque fortis illa, quae comoediarum scriptoribus opus est, et in dicendo et in agendo vis iustoque iure eum Plautus facilitate et mobilitate eorum qui agunt salibus-

---

1) C. Sueton. Tranquilli rell. ed. Roth p. 292.

2) Cic. ad. Attic. VII, 3, 10; de amic. 24, 80. Quinct. X 1, 99. Varro ap. Gell. VII, 14, 6. Velleius I, 17, 1.

que breviter et commode dictis superare iudicatur [1]). At haec quae attulimus vitia si omittas, mores, indoles, vitam eorem qui agunt optime descripsit animique perturbationes et affectationes quum praecise acriterque tum recte et quasi res vera sit depinxit [2]).

Neque vero defuerunt qui eum minimi aestimarent: Volcatius Sedigitus [3]) non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio eum postponit; Servius ad Verg. Aen. 1, 410 adnotat: *Sciendum tamen est, Terentium propter solam* (scl. dicendi) *proprietatem omnibus comicis esse praepositum, quibus est, quantum ad cetera spectat, inferior.* Atque iam ea ipsius aetate accusabant inimici, non ipsum scribere comoedias suas sed amicos nobiles; certe eum eorum in scribendo auxilio uti [4]). Maxime accusabant eum quod contaminaret comoedias Graecas, i. e. plures poetarum Graecorum fabulas in unam contraheret. Luscius enim obtrectatorum dux Graecorum fabulas tam diligenter vertit, ut ne pedem quidem ab iis auderet discedere [5]), et id vitio vertit Terentio quod non integras redderet fabulas Graecas sed contaminando corrumperet. Quod cur fecerit, facile intellegitur. Cum argumenta, quae Menandri fabulis inerant, sublatis dictis et facetiis ad Graecorum vivendi rationem pertinentibus, nimis brevia et inania viderentur esse, huic vitio ita mederi conatus est, ut complures fabulas eiusdem fere argumenti imitandas sibi eligeret atque ab altera fabula fundamentis suae ipsius comoediae petitis, ex altera una alterave persona translata agentium scenarumque numerum augeret, difficilius suae fabulae argumentum et actionem efficeret, spectantium exspectationem admirationemque commoveret atque sustineret [6]). Ipse

---

1) testantur Cic. in Lim. (Sueton. rell. p. 294), itemque C. Caesar (eod. loc.).

2) Varro apud Non. p. 374, 7 et ap. Char. II, p. 147, 27 (ed. Keil); Horat. epist. II, 1, 57 ss.; Euanth. de tragoed. et comoed. p. 14, 26 (ed. Klotz).

3) Sueton. p. 294, Gell. noctt. XV, 24.

4) Neque Terentius hoc factum esse negat. Honori sibi vertit, ipsi populo rem diiudicandam relinquit Heaut. prol. 22—27, Adelph. prol. 15—21. Quantum veri huic crimini insit, exquirere vel disceptare non licet, quoniam neque Scipionis aut Laelii sermonis quidquam ad nos pervenit neque si quid esset servatum haec oratio soluta recte cum poesi compararetur.

5) Eun. prol. 7 e. q. s.

6) Euanth. de trag. et com. 15, 11: Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum.

contaminasse se affert in fabularum prologis beneque fecisse defendit.

Quaeritur iam quae sit contaminandi ratio utrumque Menandri vestigia tantum eum pressisse an suum ipsius interdum iudicium ingeniumque secutum esse putes: Scripserunt de hac re (ut duos tantum gravissimos afferam) Grauertus in Analectis historicis et philologicis et Guilelmus Ihne (dissertatio Bonnensis a. 1843), sed longe distant eorum sententiae.

Andria.

Ipse Terentius in Andriae prologo, qualis Menandri fabulae, ex quibus suam composuit, fuerint argumenti, satis declarat cum dicit, Andriam et Perinthiam non ita dissimili esse argumento, sed tamen dissimili oratione factas esse ac stilo; qui utramvis recte norit, eum ambas nosse. Atque recte mihi Grauertus [1]) afferre videtur argumentum duarum illarum fabularum Graecarum et totum et singularum scenarum simillimum fuisse. Neque vero id mihi probari potest, quod p. 174 exponit: *Terenz hat nun also hier nicht, wie bei ienen andern comoedien* (*scl. Eun. et Adelph.*) *eine episode aus einem zweiten drama eingeschaltet, deren personen mit denen seines hauptsächlichen originals ähnlichkeit hatten, sondern aus einem zweiten .... ähnlichen drama ... entlehnt, was sich einweben liess.* Versus igitur prologi 13. et 14. eo pertinere vult Grauertus ut sententias quasdam et figuras orationis (id quod Terentius appellat orationem et stilum) vel locos quosdam paucorum versuum finibus circumscriptos Terentius ex Perinthia transtulerit in Andriam Latinam. Equidem censeo complures adeo scenas eum transtulisse aut totas aut aliquam earum partem, quodque ea re efficitur, aliquid certe interfuisse inter duarum fabularum argumentum. Hoc nullo modo repugnare puto illi: *Non ita sunt dissimili argumento*, quo quod nos vertimus *Sie stimmen fast genau überein.* Atque id quidem his verbis confirmatur, nihil de summa Andriae argumenti mutatum esse in Perinthia; tale enim est Andriae argumentum, ut nihil nisi grave quidquam mutari posse mihi videatur.

---

[1]) analectt. p. 192.

Sed de ipsius argumenti ratione videamus infra; perlustremus iam testimonia. Nihil gravius mutatum affirmatur teste Donato ad prologi v. 10. adnotante: ***Prima scena Perinthiae paene isdem verbis quibus Andria (corr. Andriae) scripta est.*** Quae scena cum res antea gestas et ad intellegendas ipsius fabulae rationes necessarias continere soleat, si inter Andriae et Perinthiae argumentum gravius quidquam interfuisset, ne huic primae quidem scenae eadem quae Andriae inesse potuisse apparet; addita re levi quadam ne eam quidem mutari opus fuit. Ceterum Andriae Latinae primam scenam ex Perinthia transtulisse Terentium affert Donatus ad v. 13. adnotans: ***Conscius sibi est Terentius primam scenam de Perinthia esse translatam; ubi senex ita cum uxore loquitur ut apud Terentium cum liberto; at in Andria Menandri solus senex est.*** Quod scholion ut non sententiis, sed dicendi forma Andriae et Perinthiae primam scenam inter se discrepuisse demonstrat, ita gravem inter viros doctos dissensionem commovit. Ihnius potuisse primam scenam Perinthiae paene iisdem verbis scriptam esse quibus Andriae negat, quoniam in hac solus senex, in illa senex cum uxore loquatur. Hoc Grauertus ita expedire conatus est, ut non totam scenam primam a Donato dici paene iisdem verbis scriptam esse in utraque fabula, sed partem eius principalem, senis de Pamphilae vivendi ratione narrationem, summam igitur totius rei eandem esse dicat. Quod omnino non probat Ihne, Donatum diligentem illum scholiastam qui tam anxia cura paullo post 11 et 20 versus numeret, tam incerte dicturum non fuisse et, si scholiasta Perinthiae primam scenam diligenter perlegisset, visurum eum ratus non potuisse in Perinthia senem ita cum uxore loqui, ut apud Terentium cum liberto; nam colloqium usque ad v. 20. nonnisi domini libertique esse posse, cetera autem quae Sosia inter senis narrationem interponat perpauca esse et ita comparata, ut etsi non abhorreant a mulieris oratione tamen multo melius in servum conveniant. Sed aut Grauertum recte explicare aut id considerari voluerim, non adnotare Donatum sed magistrum quendam scribere non tam accurate considerantem; certe quod ad v. 10. adnotatur non ab eodem scriptum esse, a quo ad v. 13. adnotatur. Alterum quod profert Ihne, ineptum esse senem ita cum uxore loqui ut apud Terentium cum liberto, hoc recte eum intellexisse negaverim. *Ita* non eo sensu positum, ut sit *In derselben weise, genau so,* neque ad rationem modumve loquendi videtur pertinere, sed sensum esse puto eum, senem non solum locutum, sed collocutum esse cum aliquo homine, et collocutum, ut apud Terentium cum

servo ita in Perinthia cum uxore. Verba 'ita, ut' non tam 'cum uxore' et 'cum liberte' opponunt, quam in utraque fabula collocutum, non solum locutum esse (id quod in Andria Menandri facit) senem efficiunt.

Sed hoc accasione data. Haec igitur prima scena, cum eadem in Perinthia quae in Andria sit, facile perspici puto de summa argumenti nihil in Perinthia a Menandro mutatum esse. Idem hoc quadrat ad id quod addit Donatus ad prol. v. 10. *Cetera dissimilia sunt praeter duos locos, alterum ad versus* 11, *alterum ad* 20, *qui in utraque fabula positi sunt.* Mutato enim argumento ut ipsa verba in Perinthia servarentur aptumque locum invenirent vix fieri potuit. Ut hoc afferam, Donati testimonium ad Menandri fabulas Andriam et Perinthiam pertinet.

Iam quod argumentum sit fabulae Terentianae quum a Grauerto optime expositum sit, hoc loco omittendum videtur. Arctissime quae Grauertus enarravit inter se cohaerere apparet neque fieri posse puto, ut aliqua earum rerum omnium parte relicta fabula satis in se nodorum habeat. Argumenti igitur cum nihil omitti possit nisi omnem totius fabulae nexum resolvi velis, non licet putari Menandrum in scribenda Andria fabula quidquam omisisse aut neglexisse eorum quae Grauertus attulit, neque in Perinthia aliquam rem omisisse aut mutasse alio dolo quodam eius quem Davus excogitat loco interposito. Aliquid tamen interfuisse inter argumenta, quod inest in prologo 'Non ita dissimili argumento' demonstrat, sed leve illud quidem. Iam, quid aliud factum putes, quam ut leve additamentum in facienda Perinthia appositum sit quo tamen argumentum et fallaciae, quibus solis continetur fabula, nullo modo mutarentur. Atque recte iudicasse mihi videtur Ihne, primo loco a Menandro Andriam factam esse, deinde nova orationis forma indutam paucisque scenis auctam (quibus pro uno amore duos inferret), reliquum non mutatum argumentum. Atque eas scenas Terentius in Andriam suam transtulit e Perinthia.

Accedunt ad id quod supra commemoravimus argumentum paucae scenae ad ipsius nexum nil pertinentes, quibus Charinus adolescens et Byrrhia servus in scenam prodeunt. Charinus cum audiverit quam amat fore ut eodem die Pamphilo uxor detur, valde lamentatur, deinde a Pamphilo petit ut auxilium sibi ferat Chremetisque filiam sibi permittat (II, 1). Insequenti scena nil omnino dicit nisi forte *Audin tu illum, rem tenes, recte dicis*, denique servatum se esse Davi auxilio, atque adeo satis stupidum se praebet hominem. Byrrhia (II, 5)

nil agens sed populum tantum allocutus denunciat missum se qui Pamphilum observet. Iterum progressus in scenam Charinus (IV, 1 et 2) accusat homines omnes esse perfidos Pamphilumque contumeliis persequitur, quod Chremetis filiam ducturum se non esse pollicitus tum tamen ducat; nihil aliud deinde agit, quam ut sententias quasdam ad ea quae usque eo gesta sunt pertinentes referat; denique ad lamentationes revertitur. Postquam deinde nodis solutis non interfuit, reversus V, 5 nulla re neque acta neque dicta, V, 6, postquam quid rei esset audivit, petit a Pamphilo ut secundis rebus se respiciat. Ceterum nihil de eo; non respondet Pamphilus utrum preci eius morem gesturus sit necne. Omnes has et scenas et verba ad ipsum fabulae argumentum nil omnino pertinere apparet; maximam partem verba sunt vulgaria, quae eo consilio facta videntur ut paullo longiorem poeta efficiat fabulam. Scenarum IV, 1 et 2 maiorem partem plane omitti licebat; quae iis insunt dici apparet ut conteratur temporis spatium, per quod Davus novos dolos excogitet. Quamquam concedendum est, Charini et Pamphili colloquio immixto non tam subita neque ulla adhibita cogitatione exstare Davi consilia.

Has igitur scenas partim cum Andriae scenis coniungendas (namque IV, 1 et 2 partem ne in Andria quidem Menandri defuisse existimaverim), cum iterum vellet eandem fabulam in scena pro nova committere, addidisse Menandrum Andriae suae eique novae fabulae Perinthiae nomen indidisse puto. Quae cum ad argumentum ipsum nihil valeant, recte dicas, non ita dissimili esse argumento has duas fabulas.

Multum poetae profuisse puto has paucas scenas additas; duos enim pro uno spectantibus cum praebuisset amores duplicesque dolorum eventus, studium ei spectantium auctum esse non negarim. Quamquam mihi quidem quae his scenis Charini et Byrrhiae insunt satis levia et mediocria personaeque ipsae satis lentae taediique plenae videntur esse; Charini imprimis persona miserrima et flebilissima est. Has igitur scenas Terentius e Perinthia transtulit. Namque cum aliquid certe e Perinthia ipse se transtulisse confiteatur, neque autem inter Andriam et Perinthiam aliud quidquam intersit, quid restat quam ut has additas scenas eum e Perinthia sumpsisse putemus. Sunt act. II, 1; II, 2; II, 5; IV, 1; IV, 2; V, 5 et 6.

Neque huic sententiae obstant quae a veteribus auctoribus Perinthiae eas reliquias esse affirmantibus tradita sunt. Nam cum Andria et Perinthia eiusdem sint argumenti et sententiarum, quis fieri potuisse neget, ut et verba et sententiae

Andriae eadem inveniantur in Perinthia quisque hoc vitio vertat Menandro. Quid quod Donatus affert (id quod iam supra commemoravimus) duos locos alterum ad versus 11 alterum ad 20 in utraque fabula positos esse? Atque ita versatum esse Terentium in imitando Menandrum puto, ut non sumptis eius fabulis ad verbum converteret quod legisset, sed cum studiose atque compluries eas perlegisset satisque memoria teneret et argumenta et dicta, ad scribendum se contulisse electis iis quae praestare viderentur. Ex Andria igitur fundamento petito, paucis quas attuli Perinthiae scenis additis, cum Perinthiae oratio minus ei placeret quam Andriae [1]), Andriae orationem imitatus est; attamen cum in mentem ei venissent Perinthiae versus praestantes, eos scripsit. Non igitur mirari licet si eadem verba vel eaedem sententiae quas quia ad scenas ex Andria sumptas pertinent, in Menandri Andria positas putaveris, in Perinthia scriptae fuisse commemorantur. Neque cum in eiusdem argumenti fabulis permultos locos ita comparatos esse necesse sit ut in utraque tuo iure ponas, Andriae Latinae scenam quandam ex Perinthia translatam esse eo demonstrari licet quod fragmentum Perinthiae nomine traditum in ea scena poni potest ad eamque quadrat. Quae Perinthiae afferuntur fragmenta pertinent [2]) alterum ad I, 1, tertium ad III, 4, 21 (Grauertus vult ad I, 5 vel III, 5); quartum et septimum ad V, 4; quintum ad I, 4; sextum ad II, 2, 32. Sed vide, num has Terentii scenas ex Perinthia translatas iudices; nam cum ad eas quas enumeravi scenas Andriae quoque Menandreae fragmenta pertineant [3]), eodem tuo iure ex Andria Menandrea repetitas eas statuas: Quamobrem non recte facere puto Grauertum efficientem eas scenas ad quas Perinthiae fragmenta pertineant Menandri Perinthiae tribuendas esse.

Sed quonimus Charini et Byrrhiae personas ex Perinthia in Andriam suam Terentium transtulisse putemus obstare videntur scholia atque testimonia Donati nomine addita. Ac primum quidem ad II, 1 adnotatur: *In hoc colloquio altera pars*

---

1) facilius enim, nisi praestitisset Andriae oratio, et orationem et argumenta a Perinthia repetisset.

2) Grauert. p. 189; Benfey transl. Germ.

3) Andriae fragmentorum, quae sunt apud Meineke, com. Graec. IV, 83 e. q. s. octavum *τί δή ποτ᾽ ἀκούσω*, pertinet ad III, 4, 13 quidnam audio?, fragmentum nonum *ἐνθένδ᾽ ἀποφυγὼν οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ* ad III, 5, 5, quo loco est: *Posthac incolumem sat scio fore me nunc si hoc devito malum;* quorum verborum sensum esse Donatus affert: *Tam difficile est hinc evadere ut qui hinc evaserit videatur immortalis futurus;* duodecimum *οὗτος αὐτός ἐστιν.* ad V, 4, 10 sic Crito hic est.

ostenditur fabulae, si quidem Andria ex duorum adolescentium pavoribus gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comoedia adolescentis effecerit. Ab alio deinde additur: *Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso Pamphilo aliam ducente.* Ad V, 5: *Haec scena alterum generum Chremeti comparat, ne aut Charinus tristis recedat aut non provisum videretur Philumenae.* Aliusque addidit: *Hoc colloquium per compendium fabulae inducitur ut una narratione etiam negotium Charini transigi possit.* Donati sententiam secutus maximeque nisus verbis quae sunt: *Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum*, Grauertus omnes quae ad Charinum et Byrrhiam pertinent fabulae partes non ex Menandro delatas sed ab ipso Terentio inventas vult. Sed ipsius verbis refutari mihi videtur eius sententia, p. enim 187, cum ex Andria summa argumenti a Terentio petita sit, quae ad Andriam a Donato solo Menandri nomine fabulae ex qua petita sint nomine non addito afferantur fragmenta, ea ad Menandri Andriam referenda esse demonstrat; ex aliis si attulerit Donatus fragmenta comoediis, earum afferenda fuisse nomina, id quod fecerit ad Andriae prol. 10. Perinthiae nomine et ad V, 5, 3, Eunuchi nomine addita. Doctissimos viros Clericum, Bentleium, Meinekium, alios allata a Donato ad Andriam fragmenta ad Andriam Menandri referre rectissime non dubitasse adnotat. At cur iam hoc: *Nam non sunt apud Menandrum* ita explicare dubitamus ut sit: *Nam non sunt apud Andriam Menandri?* Atque quae antea scripta sunt: *Has personas Terentius addìdit fabulae*, Ihne omnino Donati esse negat, sed nugatori cuidam tribuit, qui de Charino et Byrrhia Terentio adiudicandis dicendum sibi putaret, atque hanc sententiam ita probare studet ut quae afferantur Donati nomine ad And. prol. 10. et 13. prorsus inepta et inania, neque hausta ex probis auctoribus sed ad acuendum ingenium et sagacitatem discipulorum a magistro quodam inventa demonstret, ob eamque rem ne illud quidem: *Has personas Terentius addidit fabulae* veteris auctoris aut verum putet. Atque rectissime mihi videtur disputasse vèrba: *Ne τραγικώτερον fieret ss.* nihil omnino valere atque nugatoris esse cuiusdam, qui excusandum sibi putaret Terentium propter additam tristissimam Charini personam. Ab eodem nugatore eodemque consilio scriptum esse puto quod adnotatur ad V, 5: *Haec scena alterum generum ss.* Sed paullo audacius id mihi effecisse videtur, ob eam quam commemoravimus causam ne ea quidem: '*Has personas*

Terentius addidit fabulae' vera esse neque quidquam valere. Atque ipse hanc audaciam videtur intellexisse; confirmare enim eam studet aliis additis argumentis ex Terentii fabulas scribendi ratione desumptis. Luscium diligentissime Graecas fafulas vertentem non tulisse putat tantam licentiam quantam additis de suo duabus personis Terentius sibi indulserit; verisimile esse negat, Terentium in prima quam scripsit fabula solaque in ea de suo addidisse duas personas qui in reliquis fabulis quum exercitatior et audacior esset numquam hoc sibi assumpserit. Et recte de hac fabula (de Eunucho videamus infra) hoc mihi videtur iudicasse. Quamquam enim ei opponas, eam ipsam ob rem, quod prima erat fabula, Terentium non iam peritum, Luscium hoc sibi crimini versurum, de suo addidisse personas verisimile esse, tamen hoc a Terentio non factum esse sequitur ex eo quod a Luscio ob id commissum numquam postea vituperatur; neque enim eius modi crimen a Terentio in prologis defenditur.

Sed etiamsi a vetere scholiasta scripta esse haec 'Has personas Terentius ss.' concedas, id tamen ea valere puto ut sit *Has personas ex Perinthia Terentius addidit fabulae.* Ac primum quidam 'fabulae' hoc loco non ad Terentii, sed ad Menandri Andriam pertinere putaverim; atque eodem iure hoc fieri licere videtur quo fragmenta solo Menandri nomine allata ad Andriam Menandri pertinent. Atque quid sibi velint quae sequuntur: *Nam non sunt apud Menandrum* (id est in Andria Menandri), nisi oppositum putes, esse eas in Perinthia? Cum non ipsis verbis addatur eas ne in Perinthia quidem esse [1]) licere opinor ita explicari, ut ex Perinthia addidisse Terentium putemus. Iam si id valere velis haec verba, de suo addidisse Terentium personas, hoc '*de suo*' scholiastam additurum fuisse et certe addendum ei fuisse putaverim. Scholio denique ad V, 6, 13 insunt haec: *Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est, et id extra praescriptum Menandri cuius comoediam transferebat ss.* Quod scholion quamquam non sine mendis traditum est, id tamen his verbis intellegi apparet, ut sit, binas nuptias eum in una fabula machinari, neque hanc duplicem actionem totam in scena egisse, sed aliud in proscenio aliud post scenam retulisse; fecisse hoc extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat. Excusatur deinde quod mutavit Menandrum ab

---

[1]) quod addendum fuerat in tanta re; agitur enim utrum ipse fecerit argumenta Terentius an ex Graecis transtulerit tantum.

eodem scholiasta qui ea quae supra commemoravimus 'ne τραγικώτερον fieret' conscripsit. Circumcidit igitur et contraxit duos amores qui ultimis Menandreae fabulae scenis agebantur, ne iusto longior fieret fabula vel in eandem (legas eadem) propter rerum similitudinem cogerentur (addas nuptiae). Fecisse eum hoc iam antea afferunt scholia addita ad V, 5 et V, 6, 8 et V, 6, 11. Timuisse enim videtur ne taedio essent spectantibus nimis longae collocutiones similesque actiones.

Duos igitur quos Donatus adnotat amores Charini et Pamphili Menander in Perinthia usque ad finem duxisse ipsasque nuptias in scena retulisse putandus est; Terentius ut taedium vitaret alterum neglexit. Ad quam sententiam confirmandam pertinere puto alterum illum qui dicitur exitum. Cuius quae sit ratio paucis iam videamus. Scripsit de ea quaestione Grauertus, Guyetum secutus, atque versus quos sensu carere dicit correxit.

Additus est hic alter qui dicitur exitus in codicibus quinque deterioribus, de quibus Umpfenbachius Terentii editionis pagina 84. agit. Lectionem eam, quam Altorfinus (nunc Erlangensis) exhibet, Doederlinus excudendam curavit atque partem versuum emendavit, alteram partem a metro et sententiis misere laborantem fideliter descripsisse satis ratus [1]). Adnotavit pauca iam Guyetus in editione Boecleri; scripsit de hoc exitu Fr. Ritschelius in Parergis Plautinis Terentianisque. In Bembino iisque codicibus Calliopii recensionem exhibentibus, quos secutus Umpfenbachius Terentii fabulas edidit, hi versus 17 non inveniuntur; in Bembino scriptum est: *ω Plaudite. Terenti Andria finita;* in ceteris codicibus similia sunt, addita in Victoriano verba 'Calliopius recensui'. Quinque illi in quibus alter exitus conscriptus est, siquidem Umpfenbachius recte textum reddidit in editione sua, eosdem quos Bembinus exhibent versus:

V, 6, 13 Memini atque adeo longumst illum me exspectare dum exeat.

14 sequere hac intus. apud Glycerium nunc est.

Verba quae sunt: *Tu Dave abi domum* num praebeant satis intellegi non potest ex Umpfenbachii scriptura, verba: *Sed eccum exit foras* de suo addidisse videtur Umpfenbachius. Neque Doederlinus neque Guyetus commemorant, quomodo versus qui antecedunt in manuscriptis iis, quae alterum exitum praebent, scripti sint.

Omisso deinde versu 15.:

---

1) lectionem variarum trias. Erlang. 1839.

Propera, accerse hinc qui auferant eam. quid stas? quid cessas? eo. 17 hos versus afferunt. Quo facto eodem modo quo Bembinus finem fabulae perhibent:

Ne exspectetis ss. [1]).

Ex quinque codicibus γ (Marcianus saec. XII), δ (Ambrosianus saec. XIV) ε (Ambrosianus A a. 1408 perfectus) recensionis Calliopii sunt; subscriptio enim *Calliopius recensui* scenam praecedit in iis. Quamquam a ceteris, qui aut solam Calliopii recensionem aut mixtam eam cum Donati commento exhibent, discernendi sunt et certum codicum ordinem efficiunt. Ceterum γ et δ ex eodem manuscripto oriundos esse putaverim; in utroque enim ad finem fabulae scripti sunt versus, in γ:

Dulcia que docuit finctor ne respice vèrba
Mulceat ut [2]) dulcis m̄te ēscriptio heri:

in δ:

Dulcia quae docuit fictor l̄. respice verba
Mulceat ut dulcis mentem conscripcio heri.

Duo alii illi codices Altorfinus et Ebnerianus utrum Bembino an Calliopii recensioni tribuendi sint an codicum ordini ceterum non noto, discerni non potest. E qui scripsit haec adnotat: *Hanc scenam nusquam alibi vidi ptrquam* (*praeterquam*) *in codice Terentii qⁱ ē* (*qui est*) *in catenis apud sem* (*seminarium*) *dominicum Bononiae. ubi ı̄pa* (*ipsam, ipse?*) *repperi de littera admodum antiqua, superaddita tamen videbatur post perfectum opus sicut et hic. quae an fuerit Terentii viderunt alii. ego vero hic transcribendum duxi qi ı̄* (*quia in*) *vetustissimo codice et antiqua valde litera scripta erat.*

Ceterum verba adeo corrupta atque obscura tradita sunt ut ne summis quidem maximeque variis coniecturis mutationibusque singula intellegantur; praesertim a versu 12. miserea sententia maximeque a metro laborant versus. Westerhovius verba intricata et absurdia, immo barbara questus est, Ritschelius permale Bothium et Grauertum versus emendasse iudicat; procudisse inficetos versiculos et vel mediocri poeta indignos, a lingua et numeris et sententia vitiosos [3]).

Quid insit scenae apparet. Inter Pamphilum, Charinum, Chremetem, Davum id agitur, ut a Pamphilo Chremes exoretur ut Philumenam filiam a Pamphilo spretam Charino amanti

---

[1]) Neque Ambrosianus neque Marcianus duos hos ultimos versus habere videntur; Umpfenbachius enim adnotat, in Ambrosiano esse: *Andria finit,* in Marciano *Publii terencii afri andria finit.*

[2]) legas fortasse *at.*

[3]) parerga 587.

despondeat. Chremes deinde Charino filiam uxorem se daturum pollicetur.

Hactenus de verbis versibusque. Disputaverunt viri doctissimi quo loco scena esset inserenda. Atque Donatus quidem [1]) in suo exemplari hos versus 17 legisse videtur post verba, quae sunt '*Tu Dave abi domum*' omissis fortasse his ipsis verbis. De iisdem versibus Eugraphius, quem 10. saeculo vixisse constat, haec adnotat ad v. 11. Age me in tuis secundis: *Exhortatur Charinus Pamphilum ut auxilium sibi praebeat. 'In secundis, inquit, rebus tuis respice me', habes in potestate Chremetem, omnia potest facere ille quae tu voles. Post hunc versus sequuntur continentes illam sententiam quemadmodum itum est ad Chremetem, quemadmodum exoratus Charino promiserit filiam. Sed hos tollendos esse versus persuadet quod sequitur: 'Memini atque adeo longum est exspectare dum exeat.' Si enim acta sunt ista omnia in publico, quomodo dici potest, maxime cum sequatur: 'Ne exspectis, dum exeant huc: intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.' Ergo cum legerimus primum: 'Tuus nunc Chremes, facturum quae voles scio esse omnia', continuo debemus subiungere: 'Atque adeo longum illum exspectare, dum huc exeat.' Ita enim integritas fit sensus sublatis versibus qui intus gesta retinebant.* Ex hisce verbis Grauertus sibi visus est hoc posse colligere, Eugraphium reperisse istos versus post 11.: *Age me in tuis secundis respice.* Ipse Grauertus collacotos fuisse eos post versum 12. et omissos fuisse reliquos Bembini versus 5 putat; num illa: *Tu Dave abi domum, propera, accerse, hinc qui auferant eam, quid stas, quid cessas, eo.* servata fuisse velit, satis non intellegitur. Contra Grauertum satis copiose Ritschelius errasse Donatum, Eugraphium reperisse hos versus inter 12. et 13. disputat, at ipsius Grauerti sententiam laudat; sed ita rem instruit, ut ab eo versu, qui est *Te exspectabam e. q. s.*, nova scena ordiatur, ob eamque rem aliquid adiectum oportere putet post Charini verba *Facturum quae voles scio esse omnia* et excidisse aliquos versiculos coniciat hosque versus suppleat, deletis vel mutatis, quae in Bembino sunt, tali modo [2]).

Tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia.

Memini atque adeo ut volui commodum huc senex exit foras:
Secede illuc aliquantisper. Dave, sequere me hac. sequor.

---

1) versus ei notos esse demonstrant quae ad V, 6, 14 adnotat.
2) parerga 598.

Act. V, scen. 7.

Te exspectabam e. q. s.

Post versum deinde: *Uxorem et dotis sex talenta spondeo* addi vult: *Agatur intus si quid est quod restat. ω. Plaudite.*

Sed ut omittam, quanta libidine singula constructa sint, haec Ritschelii quamvis sagaciter excogitata plane supervacanea tamen videntur mihi esse. Neque enim in ipsa quadam fabula actione hunc alterum exitum, eius qui in Bembino est loco, usurpatum fuisse putaverim. Quod ita esse multa demonstrant et consentiunt. In 5 istis codicibus, qui alterum exitum exhibent, versus positi sunt eo quo Donatus affert loco post versum: *Sequere hac intus*, neque ulla res in versibus 13. et 14. mutata; omissus est versus *Propera, accerse hinc qui auferant eam. quid stas, quid cessas? eo.* Hunc stare non posse apparet; fabulae enim si non iam finis fieret, quod iussus erat Davum exsequi oportebat. Allatis 17 versibus duo ultimi versus adduntur qui in ceteris codicibus insunt: *Ne exspectetis* et *Intus transigetur.* Ex hoc effici puto, omnino non fuisse manuscriptum, in quo solus alter exitus esset, omissi essent 5 illi versus *Memini* e. q. s.; sed fuisse manuscriptum quoddam, in cuius margine adscriptus alter exitus a quodam homine neque vero de primo, ut ita dicamus, exitu quidquam mutatum esset praeter deletum versum *Propera, accerse.* Ex hoc manuscripto 5 istos descriptos esse codices atque (id quod haud raro factum est) qui in archetypi margine erant versus ab iis qui istos conscripserunt, in ipsum textum receptos esse; non eo quidem loco, quo oportebat, hoc factum esse, quispiam iudicaverit. Sed cum ad ipsam fabulam non pertinerent versus, nullius omnino pretii erat, qno loco insererentur. Atque Donatum iam inspexisse tale aliquod manuscriptum 17 versus continens, ex quo isti 5 conscripti sunt, apparere puto. In eo hi versus iam in ipsum textum recepti erant post verba, quae sunt *Tu Dave abi domum;* quos cum in aliis codicibus non inveniret, adnotavit negari Terentii esse. Neque recte iudicare Ritschelium puto, erratum in lemmate Donati verbis praemisso *Tu Dave abi domum* dicentem.

Solum igitur in nullo manuscripto hunc alterum exitum fuisse deletis qui eo ipso supervacanei et inutiles fiebant versibus, sed primum in margine cuiusdam codicis ascriptum, deinde in ipsum textum puto receptum esse, quamquam careret sensu. Ita enim res est comparata, ut non possint duo hi exitus inter se ullo pacto conciliari, sed alteruter tantum in scena recitari potuerit.

Iam unde oriundi sint hi versus quoque tempore et a

quo facti, viri docti inter se dissentiunt. Atque Grauertus quidem de fraude Guyeti cogitandum atque ab eo ipso levi homine factos eos esse putabat. Sed eo quo scripsit tempore de tali fraude cogitari fortasse poterat, nunc non licet, quoniam 5 codicibus esse antiquos eos demonstratur. Ceterum ipse refutat coniecturam suam, neque vero a quonam factos eos putet exponit. Terentii esse negat, quia ab eius arte et elegantia recedant; tales eos esse putat, ut antiquo tempore a quodam homine docto retractatus sit Andriae exitus; eius generis opera iam antiquissimo tempore fuisse addit. Ipse Guyetus suppositicios et Terentio plane indignos eos iudicat. Contra Ritschelius quicunque idoneum usum comicorum habeat, posse vel tantillum dubitare negat, quin in bono et antiquo poeta versemur, atque gravissima verba ad hanc sententiam suam affirmandam affert [1]). Nihil esse in istis versibus quod Terentio Plautove non sit dignum; ne uno quidem exemplo ostendi posse, tales umquam versus a posterioris aetatis homine factos esse.

Neque vero ut Terentii illos versus esse putarem argumentis suis mihi persuasit. Namque cum hi versus adeo corrupti, Doederlino teste magnam partem sensu omnino carentes, nobis traditi sint, nimis audacter asseveratum puto, nihil iis inesse quod Terentio indignum sit. Accedit quod ita tantum sententiam suam Ritschelius probat ut quae ad probandam sententiam verba pertineant mutet iisque permulta addat. Neque enim, qua arte quave inertia facti sint versus, prius aestimari licere putat, quam a mendis, quibus laborent, probabili ratione liberati et in eam integritatem restituti sint qua e manibus poetae prodisse eos credibile sit. Neque vero recte hoc factum, ut mutes et addas eo consilio ut bonum habeas poetam, deinde bonum adesse poetam dicas quia omnia optime se habeant. Neque si verba non mutes, Ritschelii sententiam probari posse puto. Quid, quod etiam Grauertus coniecit, addidit, mutavit versus traditos neque tamen Terentio quamquam mutatos tribuit, sed alienos ab arte et elegantia eius iudicat. Paullo post Ritschelius retractatam et scenae accessione auctam fabulam et utrumque exitum Terentii esse dicit; id satis diremtu difficile esse, utrum exitum priorem fecerit, utrum reprobato altero postea adiecerit. Neque vero ita ei constat Terentii esse alterum exitum, sed de duobus poetis cogitandum putat, atque cum saepe repeterentur fabu-

---

[1]) parerga 594.

lae Terentianae etiam mortuo poeta, ita factum esse conicit ut per eius modi occasionem aliquam alius poetae sed haud multo posterioris manu ea scena adderetur, qua Charinus desponderetur.

Wagnerus [1]) Ritschelii sententiam alius poetae esse hunc exitum non probat, sed ab ipso Terentio, quum iterum ageretur Andria, eum factum esse dicit idque efficit et utrumque fabulae exitum a Terentio profectum et prologum qui nunc exstat ad hanc alteram actionem esse compositum; recteque iudicasse de hoc exitu G. Hermannum in epimetro censet, quamquam ne hic quidem certo affirmare ausus sit scenam illam ab ipso Terentio esse profectam. Sed monendum mihi videtur in disserendi et concludendi genere suo Wagnerum paullo audaciorem esse, statuentem in hac scena nihil a Terentii arte et elegantia recedere et ipsum Terentium Andriam in scenam reduxisse. Quod apparere putat, Andriam post Hecyrae primam actionem anno 590 relatam ad eamque repetitam actionem eum qui exstat prologum scriptum essse, hoc dubitari potest. Nam quam summi momenti affert causam, unde Terentii adversarius tam accuratam fabulae notitiam sibi compararet ut accusare eum posset ex duabus Graecis fabulam esse compositam, nisi eo quod iam acta esset Andria, haec non satis firma rataque videtur esse. Nam etiamsi Westerhovii sententiam, ante Andriam Terentium complures fabulas scripsisse hisque cum intellexisset Luscius contaminari fabulas, crimini hoc versum ab eo et contra eiusmodi crimina Terentium se defendere, probare noluerimus, tamen Terentii contra Luscium defensio statim in primae Andriae actionis prologo facta satis expediri mihi videtur ita ut Luscium quam Terentius acturus esset fabulam cum iam antea cognovisset, fortasse adeo inspexisset atque contaminatam eam intellexisset, per totum populum et ipsum et amicos hoc crimen inesse novae fabulae pervulgasse, Terentium hoc, quum sensisset, sibi non neglegendum iam in prima actione ratum esse censeamus. Luscium enim cum novum exstitisse fabularum poetam popularem gratiam sibi praerepturum audivisset, omnes nervos intendisse ut iam, antequam prima eius poetae ageretur fabula, noceret ei eumque omni modo calumniatum esse quis est quin sentiat.

Sed redeo ad id quod propositum est. Neque Ritschelius neque Hermannus, utrum ipse Terentius scripserit hunc exitum an alius poeta, certis verbis diiudicaverunt atque adeo,

---

[1]) liber miscell. Bonn. (1864), p. 79.

quae p. 602 afferuntur, ex iis effici mihi videtur Ritschelium ab alio profectum esse exitum putare.

Atque mihi quidem Terentio abrogandus esse exitus videtur, aliique tribuendus. Hic alius quidam cur addiderit hunc alterum exitum, facile intellegas. Terentium Charini partes, quo propius ad finem fabulae perveniat eo magis neglegere eiusque ad finem vix iam mentionem facere apparet. Consideremus si placet singula. II, 1 et 2 aliquid certe agit Charinus quamquam iam hic id maxime ei curae est ut sententias afferat, queratur, conclamet. IV, 1 ea de causa disputare pessimosque esse hominum animos lamentari eum apparet, ut spatium comparet Davo quo novum inveniat dolum. Nihil neque in hac neque insequenti scena ad ipsum fabulae argumentum affert. Iam V, 5 et 6 omnino nil tribuitur ei, nisi ut eos qui agunt aut secum loquentes aut disceptantes interrumpat paucis verbis atque varietatem quandam afferat. Ad finem deinde fabulae nil ei contingit vixque Pamphilus precibus eius respondet, neque id fabula assequitur qua de causa fabulae additus sit, ut Philumenam uxorem ducat. Qua in re neglegentius fecisse Terentium apparet et desideratur Pamphili responsum quo se morem gesturum Charino polliceatur. Atque excusatur ea Terentii neglegentia quaeque sit eius causa adnotatur a scholiasta ad V, 6, 13 (*Nuptias non utrasque in scenam protulit*), *sed aliud in praescenio aliud post scenam retulit, ne vel iusto longior fieret vel in eadem propter rerum similitudinem cogerentur*. Quodammodo etiam quae sequuntur scholiastae adnotationes ad hanc rem pertinent, certe verba quae sunt: *Quia narratione dignum non est quod Charinus rogat*. Quamquam haec res, quum tam misera flebilisque sit Charini persona, non desideratur aut offendit. Attamen quum id quod Charino tribuendum esset, non adesse in fabula Terentiana aliqui vir doctus sive, quum postea iterum iterumque ageretur Andria, princeps histrionum gregis vel poeta quidam, cui antea inspicienda erant fabulae agendae, sensisset, addidit nuptias quae Charino debebantur.

Neque adeo equidem negaverim eum, cum hanc scenam adderet, inspexisse Graecam Perinthiam atque ab ea totam scenam repetisse. In Perinthia enim, cum ad Andriam Menander nihil nisi Charini partes adderet, talis exitus, in quo etiam Charino nuptiae contingunt, quin fuerit non dubium mihi videtur. Quam ad rem pertinere puto etiam quod scholiasta ad II, 1 adnotat: *Has personas Terentius addidit fabulae ne τραγικώτερον fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente*. Qua adnotatione satis ef-

fici mihi videtur eiusmodi scenam ad finem fuisse Perinthiae, qua Philumena uxor daretur Charino. Eamque Perinthiae scenam aut prorsus transtulisse aut certe secutum esse puto eum qui addidit alterum exitum Andriae Terentii. Hanc si sequaris sententiam, expedias quod affert Ritschelius [1]), Chremetem dicere in altero exitu v. 5, *Non novam sibi esse istam conditionem*, Charinum v. 15, *Amice se antehac esse Chremeti habitum* (Ritschelii emendationem sequimur) et Chremetem, *Etiamsi alienum se a Charino tamen magni semper eum fecisse*. Quarum rerum omnium in ipsa fabula nullum esse vestigium rectissime monet Ritschelius; sed infuisse ea in Menandri Perinthia apparet in eaque etiam Charinum aliquid certe ad argumentum pertinere et Chremetem eius amorem novisse puto: Terentium permulta eorum quae in Perinthia erant neglexisse atque adeo alterius Charini amoris quantum ad ipsum argumenti finem pertinebat (ad dolos servi omnino non pertinebat) omisisse putandum est. Neque hoc ei vitio vertendum, quoniam in sua fabula Charini amore addito id tantum agit ut plus detur populo spectandum, atque nisi veritus esset, ne magis iusto simplex esset actio, prorsus omittere potuit Charini scenas. Neque vero is qui alterum scripsit exitum, cum minus peritus totius fabulae argumenti minusque doctus esset, intellexit permultorum, quae in Perinthiae exitu erant, in Terentii Andria non esse vestigium, sed minus prudens addidit Perinthiae exitum quamvis ad Terentii Andriam non satis aptum.

Atque hac ipsa causa, quod ea quae in altero exitu insunt non habent in ipsa fabula ad quod pertineant, satis demonstrari puto, Terentium non scripsisse hunc exitum. Quod si fecisset, Charini scenae plane ei mutandae erant; namque putari non licet eum effugisse, ea quae in exitu sunt per se intellegi non posse, cum in ipsa fabula ea ad quae pertineant omiserit.

Denique, quo tempore additus sit hic alter exitus, paucis disserendum videtur. Atque Ritschelius quidem in bono atque antiquo poeta nos versari dicit et a poeta profectos esse versus haud multo posteriore, septimo igitur p. u. c. saeculo compositos esse conicit. Consentit cum eo G. Hermannus. Sed quod a bono et antiquo poeta eos compositos Ritschelius vult, de hac re dubitari potest; nam cum coniciat hoc ex eo quod versus a se ipso emendatos et auctos Terentio dignos putet, hoc eum non recte fecisse iam supra vidimus. Neque

---

1) Parerga p. 602.

vero, quomodo nunc sint constituti versus si tuemur, omnino asseverari posse mihi quidem videtur, utrum bono an malo, antiquo an novo poetae tribuendi sint. Neque minus de tempore de coniectura tantum iudicium tulit. Mirum videtur, si septimo a. u. saeclo versus compositos esse putes, eos in Bembino aut Calliopii manuscriptis non inveniri; eosque, si paullo post Terentii mortem additi fuissent, in aliquod certe vetus Terentii manuscriptum receptos fuisse existimaverim, etiamsi fortasse cum adnotatione 'non esse eos Terentii'. Et ut Bembinum omittam, Calliopium qui in recensendis veterum libris non unum tantum sed compluria certe varii generis variique pretii exemplaria inspiceret atque inter se compararet, certe visurum et adnotaturum fuisse puto si in uno quodam exemplari plus inesset quam in ceteris. Neque factum esse mihi videtur ut nullum ex iis in quibus hoc additamentum scriptum esset manuscriptis ad Calliopium perveniret. Quae quum ita sint, non nimis audacter mihi videor disputare ante Calliopii recensionem non fuisse hunc alterum exitum sed post eum demum additum esse, exeunte igitur tertio saeculo vel ineunte quarto; eo enim tempore Calliopius recensuit.

Sed accuratius iam, quo tempore compositus sit, iudicari licet. Donatum enim eum novisse ex ipsius verbis: *Hi versus usque ad illum 'Gnatam tibi meam Philumenam uxorem' negantur Terentii esse, adeo ut in pluribus bonis exemplaribus non inferantur*, compositum igitur eum esse eo quod inter Calliopium et Donatum est tempore apparet, id est, cum Donatus medio saeculo quarto vel ad finem eius esset, saeculi quarti 30. vel 40. anno.

Eam igitur exitus rationem puto, ut nescio quis perlecto Calliopii manuscripto vel eo, quod a Calliopii recensione originem acceperat, cum Charini partes neglectas esse in fabula neque iuvenem quod ei debebatur assequi sensisset, hunc addiderit exitum neque vero ipsum textum mutarit sed sua ascripserit tantum in margine, vel, quod idem est, ut vir doctus vel grammaticus Donati similis, cum quas secutus est Terentius Graecas fabulas cum Andria Terentii compararet, omissum esse in Andria Latina Perinthiae exitum viderit atque Latine conversum in margine addiderit, omisso aut uncis incluso versu 'propera accerse e. q. s.', quem stare non posse cognovisset. Ex hoc manuscripto, quod altero exitu in margine ascripto auctum est, quinque illi codices conscripti sunt, atque tres ita fideliter quae in archetypo erant servaverunt, ut usque ad versum 'sequere hac intus e. q. s.' ipsum libellum, deinde subscriptionem 'Calliopius recensui', deinde alterum exitum

exhibeant. Et verisimile videtur, eum qui δ et γ scripsit, cum duos versus quos supra commemoravimus addat [1]), suppositicios versus esse neque Terentio tribuendos aut ipsum opinari aut eam sententiam ab archetypo suo repetisse. Certe cum ex hisce versibus duobus tum ex Donati adnotatione, quam supra commemoravimus, effici puto, iam satis antiquo tempore a Terentio non profectum esse hunc alterum exitum doctos viros existimasse.

---

[1]) Etsi non plane intellegitur quid hi versus sibi velint, eos tamen id valere existimo ut ficti esse 17 versus neque respiciendi dicantur.

Eunuchus.

Dissimillimo atque Andria modo Eunuchus fabula a Terentio videtur contexta alteramque profert contaminandi rationem eius. Atque suum quidem ingenium magis quam in ceteris secutum hanc eum composuisse fabulam putaverim. Aliquid interesse inter harum duarum fabularum contaminationes iam ex ipsius Terentii in prologo verbis apparet renuntiantis in Andriae prologo: *Quae convenere in Andriam ex Perinthia fatetur transtulisse atque usum pro suis*, in Eunuchi: *In Colace Menandri est parasitus colax et miles gloriosus; eas se non negat personas transtulisse in Eunuchum suam ex Graeca* Quid intersit ut magis intellegatur, afferamus liceat quae in Adelphon prologo affert: *Eum* (scl. Diphili fabulae) *locum sumpsit sibi in Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.* In Andriae igitur prologo in universum, quae convenissent se transtulisse, in Adelphon verbum de verbo expressum extulisse dicit, in Eunuchi prologo de personis tantum sermonem facit. His verbis id inesse voluisse puto Terentium, ut non tam verba scenasque quam personas tantum earumque sententias transtulisse se diceret. Quod ita explicandum esse ut existimem, adducor iis qui sequuntur versibus 35. usque ad 41., quibus defendit, personas rem omnibus communem esse. Iamque Luscius Lanuvius quoque arguit Terentium quod parasiti et militis personas Plauto furatus esset, non quod scenas aut verba cum eius fabula consentientia haberet; quae si habuisset, certe hoc crimen multo gravius non celasset adversarius. Quamquam nullo modo dubitandum, quin in sententiarum nexu atque in oratione satis Menandri fabu-

lam secutus sit, neque tamen ita, ut in Adelphis se fecisse ipse fatetur.

Quae cum ita sint, duae res effici mihi videntur. Ac primum quidem falsum iudicasse puto Ihnium [1]) disputantem alias quoque personas praeter duas has, quas nominat, Terentium e Colace desumpsisse et nonnullas Eunuchi Terentiani personas in utraque fabula Menandri fuisse. Quamquam hoc ei concedendum, tales personas, quales sunt Thais meretrix, Phaedria adolescens, Parmeno servus in unaquaque fere fabula inesse posse, tamen eam ob causam non dicat quispiam necesse esse, Phaedriam et Parmenonem duabus his fabulis infuisse. Militem et parasitum in Eunucho Menandreo infuisse contendit necesse ratus rivalem etiam adesse apud Menandrum, ob quem Phaedria rus mittatur. Equidem dubito num in Menandri Eunucho alter amator fuerit Thrasonis Terentiani modo; talis enim si adfuisset, verisimile est Menandrum eum in scenam inducturum fuisse. Neque vero Menandri fuit tot personas producere. Ea ipsa de causa, ut plures personas in scenam produceret, contaminasse Terentium infra commemorabitur. Neque quidquam est causae Ihnio cur iudicet in Menandri Eunucho militem amatorem Phaedriaeque rivalem fuisse. Nam quid affert adnotans non semel Eunuchum et militem in eadem fabula fuisse? Rivali omnino opus non est; quid non fieri potuit, ut aliquo modo inter Phaedriam et meretricem discordia oreretur, fortasse quia aut Thais nescio qua ingenii mobilitate adducta eum reiecerat aut quia Phaedria a propinquis increpitus et ob amores suos vituperatus eam deserere constituerat. Hanc cuius apud Menandum initio fabulae mentio fiebat causam omisit Terentius aliamque incertam reliquit. Ad hoc optime pertinere puto Persii satir. V, 161 'Dave, cito, hoc credas iubeo e. q. s.' Mutavisse Terentium putes initium fabulae Menandreae breviusque fecisse [2]). Sed licet concedamus Phaedriae rivalem, alterum amatorem etiam in Menandri Eunucho in fuisse, non invenitur causa quare necesse sit eum fuisse militem.

Sed redeamus ad id quod aggressi sumus: Servum quoque fuisse in Colace contendit Ihnius eius personae, quae alter amator erat in Colace, hunc alterum amatorem fuisse ratus Phaedriam. Sed vide quam artificiose Terentium fabulas composuisse putet: Suum ingenium secutum quamvis minima eum excogitasse negat, servi ad ipsum Eunuchi fabulae nodum

---

1) Quaestt. Terent. p. 15.
2) C. O. Müller, hist. lit. Graec. II, 276.

maxime pertinentis partem e Colace sumptam esse disputat cumque Eunuchi servo ita coniunctam, ut unus exstiterit. Iam etiamsi in Menandri Colace alterum amatorem fuisse concedas (quod ut putes nulla re adducaris), hae partes nullo modo Phaedriae tribui possunt; atque ut hoc omittam, servum Parmenonis modo callidissimum et verbosissimum in Menandri Colace fuisse non licet, quia, si inerat, longior Menandri more et difficilior erat fabula. Sed Parmenonem totum esse Eunuchi apparet. Quae II, 2 interposita leguntur inter Gnathonis orationem, Terentium addidisse puto aut de suo aut recordatum ex qualibet fabula Graeca, ut iucundiorem et variorem redderet orationem. Quod ita esse testis est Donatus ad II, 2, 24 adnotans: *Mire Terentius longae orationi interloquia quaedam adhibet ut fastidium prolixitatis evitet. velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem haec loquitur.* Eandem causam esse eorum puto quae Parmeno loquitur III, 1. De quo Terentii studio infra disputabimus. Neque dubitandum puto, si talem personam e Colace transtulisset, quin in prologo commemoraturus fuerit Terentius. Neque quidquam valere puto eum praeterisse in prologo Sangam hominem illum perpauca dicentem agentemque neque ad ipsam fabulam pertinentem. Certe ex eo, quod servulum non nominaverit, effici non licet eum etiam alias omisisse personas.

His rationibus refutari videtur etiam id quod Ihnius addit, nisi III, 1 servus in Colace fuisset, cur eum non necessarium ex Eunucho Terentium ascivisse putes praesertim cum brevitati studendum esset? At quid haec tam pauca verba ad brevitatem?

Deinde contendit Ihnius, parasitum in Menandri Eunucho fuisse nulli dubitationi esse obnoxium. Hoc cur existimet, causae nihil affert; excogitat, ut Thrasonis Gnathonisque interloquium III, 1 interpretetur, versus inde a 44. Eunuchi Menandri esse ratus. Sed si putemus, has personas in Menandri Eunucho fuisse tam graves adeoque ad ipsum totius fabulae nexum pertinentes, id efficitur, eas multo plura quam pauca haec locuturas fuisse, vixque intellegitur, cur Terentius, cum satis verbosarum graviumque personarum in Eunucho haberet, adsciverit Colacem. Neque vero concedendum videtur, tot tantasque personas in una fabula habuisse Menandrum obstatque et ipse Terentius cum dicit: *Eas se non negat transtulisse e Colace*, et Donatus cum adnotat: *Parasiti personae et militis de Colace translatae sunt.*

Denique Chremetem et in Eunucho et in Colace Menandri fuisse opinatur Ihnius. Nam cum explicandum sit, quo-

modo IV, 7, quam scenam propter militis facinora ibi exhibita e Colace desumptam esse necesse sit, Chremetis persona Eunuchi Menandrei propria esse possit, id ita solvit ut huius scenae Chremetem prorsus alium esse atque earum quae antecedunt, huiusque scenae Chremetem e Colace, ceterarnm ex Eunucho translatum censeat. Neque vero hoc probandum. Namque ne in iis quae antecedunt quidem scenis Chremetem Terentii eundem fuisse atque Menandri apparet.

Sed de re hac infra. Hoc reiciam liceat, Chremetem IV, 7 alium esse atque IV, 6. Certe IV, 6 satis timidus et rustico more est, IV, 7 strenuus quodammodo et magno animo; sed facillime hoc ita solvas ut, quum IV, 6 pavore paene mortuus esset, meretricis forti animo adhortationibusque, portis clausis (v. 14.), haud minus ineptis militis minis a Thaide illusis animum recipiat, primum paucis interpositis verbis militem alloquatur [1]), deinde male acceptus satisque se tutum post portas clausas ratus conviciis adoriatur adversarium animumque praebeat. Hoc verisimilius mihi quidem videtur quam conici nulla addita causa, alium esse Chremetem IV, 7 alium IV, 6.

Id non negaverim, eodem modo, quo in omnibus Menandri comoediis, etiam in Eunucho et Colace partes quasdam similes fuisse, quo in numero est meretrix uniuscuiusque fabulae propria; sed praeter militem parasitumque alias quoque personas Terentium transtulisse ut putemus, non est quod adducat.

Restat iam, ut paucis disseramus de Antiphonis persona. Donatus enim ad III, 4 adnotat: *Bene inventa persona est cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur ut apud Menandrum.* Negat Ihnius hoc '*ut upud Menandrum*' Donati esse. Neque ego quidem Grauertum probo, hanc personam a Terentio inventam censentem sed ita inventam eam esse puto, ut ex qualibet alia aut Menandri aut cuiuscunque poetae fabula talem nobilis iuvenis Atheniensis festum diem agentis personam mutuatum audientem faceret quae Charea narrat. Neque dubito, quin eam personam de suo addiderit Terentius. Ihnius ut Terentium aut de suo aut ex alio poeta mutuatum has partes addidisse neget falsumque esse '*ut apud Menandrum*' censeat, nulla re adducitur nisi sua ipsius sententia, tot versus Terentium scribere non potuisse iudicantis. Quod primum affert, III, 4. 5. 25 versus Terentii proprios esse si Antiphonem ab eo

---

1) Don. ad IV, 7, 18: *Se primum interponit Chremes ut adulescentulus potuit iam fracto milite.*

additum putares, hoc non satis accurate dictum. Id quidem concedendum, quod Chaereae verbis insit satis notum esse spectantibus; attamen non solum narratur iis sed etiam Chaerea bene gestam rem exsultat deque ea re secum colloquitur sibi ipsi gratulabundus. Paullum igitur mutare Terentium oportuit Menandri verba et addere quaedam, sed permulta ex Menandro sumere licuit. Ea quae deinde exponit iam Teuffelius [1]) adnotat minus apta esse paullumque Ihnium aberrare. Permultis locis constat Donati scholia a posterioris aetatis interprete aucta et in peius emendata esse; neque vero ullo loco ex iis quos affert tam distincte commemoratur, quomodo apud Menandrum locus descriptus fuerit. Qui gravius accusatur ex iis, quos affert, locis iam a Teuffelio explicatus est.

Neque vero plus valere mihi videtur quod argumentorum affert Teuffel. Namque recte adnotasse puto V, 8, 4 Donatum: *Inventa persona est ad quam gesta haec narret Chaerea, ut populus et miles instruatur quid intus gestum sit.* Ac primo quidem allocutum esse Chaeream putes, quia in scena erant, Gnathonem et Thrasonem; neque vero mirum, quod hi deinde negleguntur usque ad v. 40. Hoc enim ita explices, ut exsultare eum nuptiis et interrogare et respondere sibi ipsi censeas; secum loquentem videas eum v. 15 e. q. s. Hanc quae apud Menandrum erat, meditationem mutavit Terentius interiectis quae Parmeno loquitur. Atque haec Parmenonis verba Terentium invenisse dicit Donatus, non omnem personam. Minus apte quidem scripsisse eum adnotantem '*Inventa persona est*', concedendum. Attamen hoc perfacile quisque cognoscat, hoc verbum '*inventa*' non esse ita exponendum ut Terentium omnem hanc personam invenisse Donatus adnotet, sed ita tantum ut Parmenonem in hac Menandri scena non prodiisse dicat. Ne hoc quidem recte eum dixisse Teuffelius disputat; fieri potuisse negat, quin secum solus Chaerea colloqueretur, quum quae renuntianda erant non ad eum solum pertinerent. At erant, quibus referret Gnatho et Thraso, quos iam antea populares appellatos eum vidisse necesse est. Ut hoc addam, quae causa sit Parmenonis in hac scena additi, produxisse servum [2]) puto eum idcirco ut eodem quo in Andria fit modo laudaretur solatiumque ei afferretur timoris a Pythia iniecti; ita rem esse etiam Donatus testis est adnotans ad V, 8, 5 *Plena laudatio est et constat hoc Chaeream laudative dicere.*

1) Studien und Charactere p. 282.

2) Opus non erat Parmenonem mitti ea de causa ut Phaedria domo exiret.

Iam quod accedit, Antiphonis personam a Terentio inventam minus Graecorum vivendi ratione usuram fuisse, hoc minimi existimo; nam coire in Piraeeo simplicissime est dictum, quoniam res Athenis agitur. Denique deesse Antiphonem non licuisse Teuffelius contendit. Sed quid quod in scena de vestibus mutandis nihil agi oportuit aut domi suae vestes mutare Chaercae licuit conari?

Nihil fere allatum, quare Donati esse verba '*Ut apud Menandrum*' negemus. At cur adderet hanc personam, satis fuisse mihi videtur Terentio causae. Plurimum eius intererat, ut magis variam efficeret orationem defatigatosque spectatores unum tantum audientes vitaret; eodem modo alio loco summa ei tribuitur laus, quod multarum personarum in scena confluxum faciat. Neque quidquam obstat quominus putemus apud Menandrum hoc loco Chaeream, quid intus gestum esset, non disserentem cum Antiphone sed secum quasi coram populo loquentem narrasse; minimae enim sunt partes Antiphonis. Hoc non alienum esse a more Menandri demonstrat II. 2, 1—33 meditatio Gnathonis. Quid scripserit Menander, conici licet versibus 5—9, quibus timentem facit poeta Chaeream ne quis eius gaudium deturbet eumve rogitando excruciet. Quae verba quam ad Terentii hanc scenam apta non sint, facile intellegas. sed id optare Chaeream, ut solus sit neque quoquam praesente quid gestum sit enarrans laetitiae indulgeat. Qua de causa Terentius hoc Chaereae apud Menandrum desiderium neglexerit aliterque rem instruxerit, supra iam demonstravimus [1]).

---

[1]) Aliter hunc locum intellexit Donatus et Benfey in transl. Germ. p. 605 et 709. Ad verba enim quae sunt '*qui me sequatur*' Donatus adnotat: *Id cupit gaudens quod tristibus molestum est* (scl. aliis de rebus secundis referre), *nam contra Menedemus gravatur narrare quae dolet* (in Heautontimorumeno); et ad verba: '*Sed neminemve curiosum*' *Apparatus ad intentionem futurae narrationis dicitur*. His igitur Chaereae verbis id inesse vult Donatus, ut gravetur, quod non habeat cui narret, eundemque sensum inesse putat Benfey cum dicit: *Doch muss etc.* et: *Ich geh und will mir diesen Dank wie er es wünscht verdienen.* (l. c.). At dubium mihi videtur, num talis sensus his verbis inesse possit; eo quem affert Benfey loco Andr. V, 5, 6 id ipsum a Charino dicitur, cupere se cui quid gestum sit narret. Equidem puto, id imprimis cupere Chaeream neminem intervenire, secundo deinde loco, ne curiosus homo interveniat; et ad hoc verbum 'curiosus' pertinere mihi videntur quae dicit Antipho: *Atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo;* neque enim curiosum Antipho sed amicum atque familiarem se esse vult. Quamquam ea quae Antipho orationis suae initio loquitur, etiam putes ironice dicta esse atque cupere Chaeream, neminem intervenire.

Etiamque aliis quae adnotat Donatus ad complures III, 5 locos demonstrat Terentium hanc personam de suo addidisse. Neque enim dubium existimo quin ad Terentium pertineant quae Donatus III, 5, 59 adnotat: *Bene memor est poeta personae quam induxit per hanc interrogationem* [1]). Laudat igitur Terentium, quod non oblitus sit eius, qua commotum advenientem fecit Antiphonem, causae quamvis plurimis aliis interpositis rebus.

Denique in ipsa re argumenti aliquid inesse putaverim cur Terentium invenisse Antiphonis partes censeas. Menandri paucas tantum graves personas producentis esse nego eiusmodi homine uti qui adsit tantum ut audiat. Neque opus eo erat, sed eodem modo quo antea eunuchi vestem induit iam perpetrato facinore Chaeream exuere licuit ita, ut post scenam fieret. Illo loco non mutatus Menander, hoc, ut copiosior fieret scena, persona quaedam levissima addita est.

Iam ne satis apte quidem inductam hanc personam a Terentio puto. Nam quod ad finem scenae inter hos duos convenit, Chaeream in Antiphonis domo vestes mutare, hoc minus bene excogitatum est. Facillime enim Chaereae ipsius domi hoc facere licuit. Quin fratrem rus profectum notum ei esset, fieri non potuit, quoniam antea eunuchi vestes domi suae induit; tum non metuit, ne frater superveniret, nunc metuere eum putes? Idem valet de patre; nunc timere se profitetur ne is reverterit, antea nil de ea re. Atque multo magis timendum erat, ne Antiphonis parentes domi essent, de quibus nihil constabat, quam ipsius pater fraterque, quos ambos rus profectos esse compertum habebat. Quapropter versus 62. et 63. ea tantum de causa additos puto, ut probabili specie Antipho scena amoveretur; Menandri vero eiusmodi neglegentiam esse nego. Apud eum ita actum puto ut Chaerea facinore perfecto Thaidis domo egressus quid gestum esset narraret, Doriae adventu quominus domum intraret impediretur, per complures vias erraret, denique ad Thaidis suasque aedes rediret; quae itinera eum depingentem audimus V, 2, 3—10 [2]).

Sed haec hactenus. Quod Horatius ep. II, 1, 59 laudat,

---

[1]) Verbo inducendi eum sensum esse apparet ut sit de suo addere.

[2]) Talem personam cui narraretur induxit Terentius simillimo loco Andr. V, 5, 6, quo Davum Pamphilus impetrat cui narret. Quominus hoc loco eodem modo Parmenonem ad hanc rem sumat poeta eo impeditur, quod ad finem fabulae Parmeno Pythiae deridendus relinquitur.

'Terentium vincere arte' hoc et ad artem dicendi personasque depingendi et ad artem contaminandi pertinere puto; recteque adnotandum est Terentium ita coniungere complures huius fabulae scenas ex diversis duabus Menandri fabulis desumptas ut ex una fluxisse videantur. Quam rem Ihnius ita interpretatus est, ut simillimis et argumento et oratione duarum fabularum quasi eadem fuisse verba eundemque scenarum nexum sententiarum censeat Terentiumque altera parte ex hac, altera ex illa fabula sumpta scenas, quarum mentionem fecimus, effecisse. Sed tantum abest, ut recte hoc iudicaverit, ut plerumque non modo proferre non possimus ubi sit initium scenae ex altera fabula sumptae, sed profiteri cogamur ex neutra has partes sumere poetam potuisse. Antiphonem a Terentio inventum esse iam supra defendimus; etiam in ceteris personis describendis omnique fabulae actione suum secutum esse ingenium multaque nova eum attulisse cum Grauerto iudico. Neque mirum hoc est. Quum quartam fabulam Terentius Eunuchum scriberet, multum iis, quas antea egerat, edoctum eum putaveris; non ignorabat igitur, quibus rebus populus commoveretur quidque opus esset ut fabula placeret. Quod doctus erat quin id in nova fabula scribenda adhibuerit quis est qui dubitet. Iamque paullo audaciorem eum fuisse quam antea in convertendis fabulis Graecis non videtur mirum; habebat enim laudem cum universi populi tum excellentium praeclarorumque virorum. Quamquam in personis describendis suum tantum ingenium eum secutum esse non putandum; at ita suos fecit Graecos homines ut Romanis eos accommodaret gratosque redderet. Atque populo Romano placuisse Graecorum fabulas a Terentio auctas et emendatas demonstratur eo quod eius Eunuchus bis acta summo successu atque suffragio et rursus vendita tantumque pretii numeratum est quantum numquam antea [1]).

Videamus iam quid a Terentio additum iudicemus. Quod ut intellegatur haud alienum videtur ut omissis personis illis militis et parasiti e Colace sumptis paucis explicemus, quae fabula Eunuchi Menandrei esse videatur.

Phaedria summa in Thaidem meretricem quam amabat ira commovetur, quia ab ea repulsus erat; at Thais eum bono animo esse iubet eique, quid de Pamphila serva fieri velit, exponit. Iam cum Phaedria in eius gratiam rediisset, eunuchum et servam Aethiopiam ei donat Parmenonemque servum adducere iubet. Ad hanc fabulae partem ipsaque Terentii

1) Donati. praefat.

verba pertinere paucos Menandri versus, quos affert Meineke fragmm. IV p. 123:

εἶτα τί ποιήσω; μὴ προσέλθω μηδὲ νῦν
αὐτῆς καλούσης;

et:

μὴ θεομάχει μηδὲ προςάγου τῷ πράγματι
χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε.

iam adnotavit Benfey. Deinde Phaedria rus abit. Iam Chaerea frater eius Pamphilae quam forte aspexerat amore incensus advenit, a servo petit ut se in ea potiunda adiuvet, consilium Parmenonis ut veste eunuchi utatur suadentis probat, mutata veste ad Thaidem ducitur. Prodit Chremes Pamphilae frater Thaidemque convenit. Interim Chaerea facinore perfecto domo exit, quid perpetraverit narrat, abit. Paullo post redit Phaedria, a Pythia de vitiata virgine certior fit, ab eunucho edocetur fratrem facinus perpetrasse. Quae dum in scena aguntur, Thais Chremeti persuasit Pamphilam eius sororem esse et civem; at eodem tempore vitiatam eam a Chaerea comperit; Chaerea reversus eam in matrimonium se ducturum promittit si cives sit. Quod ita esse, ei a nutrice arcessita persuadetur [1]).

Cum Thaide et nutrice Chaerea domum intrat ut sponsalia fiant. Paullo post Parmeno reversus, cum ex Pythia Chaeream puniri audiat correptum in facinore, patri forte advenienti totam rem aperit, qui ut filium repetat Thaidis domum ingressus omnia optime se habere intellegit, Chaereae matrimonium probat, Thaidem in tutelam recipit.

Haec optime inter se coniuncta sunt. Inaniorem latiusque perscriptam putaveris eam partem qua Parmeno cum Phaedria colloquitur (apud Terentium II, 1), atque recte adnotasse Donatus videtur: *Iam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio; nam et repetit quod iam dictum est et id facit magis et odiose nimis.* Sed Terentium haec ita apud Menandrum invenisse neque mutare voluisse putandum est.

Eorum quos Meineke Eunuchi Menandrei esse locos affert primum οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων ad IV, 4, 21 pertinere iam adnotavit Donatus ad h. l. Cetera quae in compluribus scriptoribus inveniuntur, quum perpauca sint verba proverbiique loco posita videantur, cum certo quodam Terentii loco conferri vix oportet.

---

2) Hoc tantum sententiarum nexu, qua de causa arcessatur nutrix, apparet; namque Chremeti iam persuasum erat signis a nutrice agnitis.

In ea, quam constituimus fabula, locum habent Terentii I, 1 et 2; II, 1 paucis exceptis versibus, II, 3 paucis additis; III, 3; III, 5 (at prorsus aliter instructa); IV, 2—IV, 4; V, 1; V, 2 (sed mutata); V, 3—6. Cetera aut e Colace desumpta aut a Terentio addita iudices. Sed videamus iam singula.

Prima fit mentio militis e Colace desumpti I, 2, 45; narrat Thais, amatorem militem in Cariam profectum emisse Pamphilam sibi a parvulo coniunctam, ut dono sibi daret, sed iam reversum dubitare eam dare. Levissimam hanc personam in Menandri Eunucho fuisse apparet, quum ad nexum ita tantum pertineat, ut ab eo amatore donata adducatur Pamphila. Quare hunc de milite locum, ut quam postea in scenam producturus est invidiam eius attingat, paullum amplificasse videtur Terentius. Certe dicendi formam hoc loco poetae propriam commendat Donatus adnotans ad I, 2, 63: *Mundat Terentius, ut solet per ἔλλειψιν suam, res huiusmodi*, certoque consilio Terentium scripsisse illud 'etiamne amplius' intellegitur. Neque minus quae Thais secum colloquitur I, 2, 117 e. q. s., quodammodo Terentii esse videntur; quod enim Donatus adnotat ad v. 118: *Hic Terentius ostendit virtutis suae hoc esse ut pervulgatas personas nove inducat et tamen a consuetudine non recedat*, id valet, ut paucis his additis verbis novam quandam faciem attribuerit poeta meretrici ceterum satis cognitae et pervulgatae.

Primus igitur actus exceptis fortasse paucis versibus Menandro tribuendus videtur. Quid de II, 1 iudicandum sit, iam supra adnotavimus; Menandri Eunuchi eam esse apparet. At versus inde a v. 22. a Terentio additos puto, quia his verbis quae sequitur scena introducitur. Namque quod loquitur servus: 'ducit secum virginem facie honesta' ideo additum iam adnotat Donatus, ut *οἰκονομία praeparetur fabulae qua ostendatur amaturus Chaerea.*

Quae inde II, 2 sequuntur, nihil ad ipsum sententiarum nexum pertinent usque ad v. 36., constatque ipsius Terentii verbis, Gnathonem Colacis Menandri esse. Sed dubitandum, an in componenda parasiti oratione etiam suo consilio servierit Terentius. Namque ad II, 2, 1 adnotat Donatus: *Hoc iam mire et pro seculi et temporum reprehensione satyrice Terentius, quod apud eum stultum vocat simplicem parasitus et intellegentem malum*. Suae igitur aetatis mores et vivendi rationem proferre videtur Terentius, hominem probum stultum, malum prudentem appellans. Adde quod ad v. 13. Donatus adnotat: *Vehementer invectus est in tempora et mores poeta sub hac persona; in qua hominem ita inducit poenitere probi-*

tatis suae, ut se infelicem non honestum ducat. Hoc quin ad Terentium pertineat, non dubitandum, quia in republica maxime Romana aemulatorum florebat genus impudicum atque improbum illud, quod illustrat Iuvenalis carminibus suis. Quales temporum descriptiones ad Romanos mores quadrantes Terentium, quamquam sententiarum nexum ex Menandro desumpsit, tamen quadam ex parte etiam suum ingenium secutum depinxisse non negaverim. Atque Graecae fabulae inseruisse eum res Romanas victumque Latinum intellegas eis quae Donatus adnotat ad v. 26. 'Cetarii, lanii, coqui': *Ἁμάρτημα comicum; in palliata res Romanas loquitur.*

Ceterum alteram huius scenae partem ita Terentium ex Menandro transtulisse puto, ut non ex una eademque scena omnia quae hic sunt conscriberet, sed ex compluribus Gnathonis sermonibus unam hanc orationem efficeret interiectis breviter a Parmenone dictis. Tres ultimos versus ab ipso Terentio additos esse necesse est, quoniam in Colace Chaerea non inest. Attamen aliquo modo Pamphila ad Thaidem ducenda erat, quam sequeretur Chaerea; hoc quomodo apud Menandrum factum esse excogites, incertum relinquendum. Haud scio an secundae scenae Terentianae loco in Menandri Eunucho rem ita compositam fuisse putes, ut Parmeno paullo diutius quam Phaedria in scena remanens secum colloqueretur, Pamphila inter eius verba domum intraret, eam secutus Chaerea cum Parmenone congrederetur.

II, 3. Quod Chaerea cum Parmenone init consilium potiundae virginis, ex Menandri Eunucho Terentium desumpsisse neque de verbis quidquam mutasse apparet; neque aliter facere potuit, quoniam hac scena totius fabulae nodus fit atque continetur. Attamen de suo addidisse Romanum pauca iam Benfey adnotat; II, 3, 27 verba 'clam, precario, vi' edicti praetoris esse atque, cum facetiarum loco afferrentur, stomachum movisse Romanis spectantibus. Atque graviorem concitatioremque effecisse orationem Terentius v. 66. videtur; ad hoc enim pertinere puto Donati illud: *Mire Terentius primo simpliciter Eunucho nomen posuit huic quoque detracturus.* Neque enim a Parmenonis ipsius ingenio abhorrebat etiam ipsum foeditatem servi praedicare. Paullo mutasse sententiarum nexum aliudque invenisse Terentius videtur etiam v. 73.; adnotat enim Donatus: *Vide Terentium, ut non quaesita esse haec fallacia, sed ipsa se obtulisse videatur,* facilitatem Terentii laudans; quamquam, quomodo apud Menandrum consilium institutum fuerit, non restituas.

Act. III. Iam Chaerea eunuchi veste indutus ad Thaidem

ducitur. Quomodo haec apud Menandrum gesta sint non dixeris; haud scio an ita gesta cogites ut Parmeno servum secum ducens in scena Thaidem inveniret adductam nescio quo casu, quam etiam III, 2 adesse videas. Quae Terentius hoc loco fabulae inseruit, ad ipsum fabulae nexum fere nullo modo pertinent. Neque satis apte aut perite eum fecisse iudicandum. Paucis exceptis primis verbis primam scenam e Colace translatam verbum de verbo apparet. Militis iactationes Colacis esse vix adnotandum; sed ne alteram inde a v. 45. partem quidem, quae Terentii videri potest quum Thaidis nomen in ea sit, ei attribuas; sed e Colace desumptam putes. Nam quod excogitat Gnatho, ut miles Thaidis amorem stimulet laudanda Pamphila, hoc et a Thrasone fit ita, ut vim atque contumelias Thaidi inferat, neque id ipsum quod Gnatho suaserat ad extremum agitur. Quamobrem assentiendum non videtur Donato adnotanti *magnam οἰκονομίαν hic esse, qua Terentius praeparet quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque* [1]) *per duas partes serpat fabulae*, verbaque tantum hoc loco scholiastam facere existimo. Quod enim commemoratur iurgium, maximam partem inter coenam post scenam fuisse tantumque finem eius IV, 7 apud spectatores actum esse apparet. Fortasse in Menandri Colace maior rixae pars in scena agebatur ad eamque haec militis et Gnathonis verba pertinent apud Terentium non satis apta. Quae interloquitur Parmeno, ab ipso Terentio addita esse non adnotandum videtur.

Inseruisse eum hanc scenam puto, ut militum superbiam iam tum Romae iactantium atque ostentantium illuderet atque exagitaret. Sed eam quoque causam inserendi putes, ut plures personas Terentio producere liceret. Haec sententia magis probanda videtur verisimilisque fit iis quae Donatus adnotat III, 2, 1: *Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum et tamen virtute et consilio poetae discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis; simul etiam pro se cuique accommodata mire representatur oratio.* Summae hoc loco Donatus Terentio laudi tribuit quod quamvis multarum personarum in concursu certus maneat ordo; quid obstat quominus id ipsum egisse Terentium putemus eaque de causa Gnathonem fabulae addidisse, ut quum locupletiorem faceret orationem tum multis personis productis insignem se et peritum rei scenicae praeberet poetam.

III, 2. Qualis haec scena Terentii est, in Menandri Eunucho fuisse non potest neque vero in Colace; neque enim

---

[1]) Adscriptnm a posteriore quodam *et Gnathonem*.

quae aguntur neque personae Colacis sunt. Quamobrem priores versus e Colace desumptos concedo, cetera maximam partem a Terentio composita puto. Versibus 1—10. Thraso Thaidis domum, ut eam ad epulas arcessat, profectus ante portam cum ea colloquitur; verbosius quidem eum collocutum quam paucis his verbis Terentii, atque hanc Colacis scenam, quam 10 versibus complexus est, multo breviorem effecisse Terentium iudices. Cetera Terentii apparet. Fortasse inserta est hoc loco Eunuchi Menandrei illa scena, qua serva Aethiopica et eunuchus ad Thaidem ducebantur et, quam insignis uterque esset, a Parmenone praedicabatur. Ad eiusmodi scenam pertine licet v. 18—21, deinde laudem eunuchi 23—25, amatoris animum depictum, Thaidis verba. Thrasonis et Parmenonis inter se rixantium verba etsi ex Graecorum fabula quadam excerpta in memoriamque revocata sunt, tamen summa arte poetica a Terentio coniuncta et in unum connexa sunt. Apud Menandrum igitur fabulam ita actam puto ut post consilium a Chaerea initum eo quo III, 1 et 2 Terentii sunt loco, satis multis verbis inter Thaidem Parmenonemque factis, eunuchus adduceretur.

III, 3. Iam Chaerea quod consilium iniit post scenam perficit, paullo post Antiphoni cuidam quid sibi obtigerit refert. Quae interest scena 3. quin ex Eunucho desumpta sit non dubitandum. Sed haud scio an non quaedam eius pars Terentii sit; deducitur enim Chremes ad epulas militis ea tantum de causa, ut rixa oriatur inter Thaidem militemque praeparenturque actus quarti scena quinta et sexta. At certe in Menandri Eunucho nescio quo alio modo Chremes Thaidem convenit ab eaque Pamphilam sororem suam esse edocetur. Sed hoc minime ad rem.

De duabus quae sequuntur scenis cum iam supra quid iudicandum sit exposuerimus, transeundum iam est ad actum quartum. Id addere liceat, apud Menandrum hoc loco Chaeream secum loquentem iis qui spectabant quid intus gestum esset narrasse. Multa ex ea scena (e. c. 27—59) transtulisse Terentium non nego, plura de suo addidit; fortasse etiam breviorem effecisse Chaereae apud Menandrum orationem concedas.

Actus quarti scena prima cum praeparetur iurgium quod inter Thaidem militemque futurum est neque talis de qua mentio fit rixa in Eunucho ullo loco collocari possit, Colacis esse videtur. Quamquam militem non tam Chremeti quam Phaedriae aemulo invidere exspectes dona mittenti. At Chremetem adhibuit poeta, cum Phaedriae epulis interesse non

liceat neque, quocum rixetur, militis intersit. Ceterum talem, qualis adest, hanc scenam in Colace fuisse non puto. Id omitto, Chremetis nec nomen nec partes Colacis fuisse eaque mutasse Terentium (quae quidem leviora videntur); at cum Menandro id propositum sit in Colace, ut grandiloquum iactantemque depingeret militem, eum non praetermisisse hanc depingendi talem eum occasionem, multoque verbosiorem hanc fuisse scenam, fortasse rixam ipsa in scena actam esse putes. Apparet Terentio hanc in scena actionem, quum ad ipsam fabulam hanc minus pertineret, retinere non licuisse; sententias igitur e Colace transtulisse, verba ipsum finxisse eum puto.

Iis quae sequuntur scenis 2, 3, 4, fabula secundum Menandri Eunuchum agitur; quod a Chaerea gestum erat, et Phaedriae et Pythiae aperitur. Hoc afferam, ad IV, 4, 27 Donatum adnotare: *Haec Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio; sed mire a Terentio proferuntur ad eius exemplum et quod est plus carent Plautinis nugis.* Quibus verbis effici mihi videtur, permultum inter se consensisse Terentii haec verba Plautique similem scenam. Ad quamnam Plauti comoediam spectet Donatus, non satis intellegitur; neque enim, quae in prologo nominatur, Colacem significari apparet. Duos ultimos scenae quartae versus a Terentio additos esse constat ut Chremetem advenientem spectantibus adnuntiet.

IV, 5 et 6 ex Eunucho desumptae, sed interpositum additumque est ipsius Terentii inventum. Chremes enim apud Thaidem revertitur, ut certior fiat de Pamphilae genere; ipse igitur reditus Eunuchi est. Sed iam supra adnotavimus, alio modo, quoniam rixa militis Menandri Eunucho non insit, Chremetem Thaidem convenisse. Atque si quis Colacis esse hanc scenam disputet, ne in Colace quidem eam ita comparatam fuisse licet, quoniam in ea fabula de Pamphila cive libera aperienda nihil agitur. Transtulit igitur ex Eunucho Terentius nil nisi ipsam rem actam, Thaidis cum Chremete colloquium quo de Pamphila cive agitur; Chremetis ebrietatem timoremque, narrationem quae de epulis fit, Thaidis adhortationes, quae scenae 5 et 6 insunt, etsi permultas sententias dictaque e Colace mutuatus est, ipse composuisse putandus. Atque adeo mutasse eum in describenda Chremetis persona Donatus testis est adnotans ad III, 3, 1: *Haec* (scl. Chremetis) *persona apud Menandrum adolescentis rustici est.* Recte adnotavit Grauertus, ea quae sequuntur verba: *et inconsequens oratio est* pertinere ad Terentium iisque significari, quae Chremes loquatur ad eius modi personam non quadrare. Recteque

censet effici Donati verbis, interesse aliquid inter Terentium et Menandrum; neque vero, quid intersit, recte mihi videtur interpretatus [1]). Rusticitatem enim Menandri, quam dicit Donatus, valere puto cum ad stultitiam quandam atque fatuitatem (hanc invenias eandem apud Terentium) tum simplicitatem morum et quodammodo sinceritatem probitatemque, malam autem sententiam rusticitatis minus adesse. At Terentius hac ingenii parte neglecta timidum primo et animi demissi et ignarum, tum cum satis tutum se intellegat, iactantem eum depingit. Talem eum ut describeret, alienum fuit a Menandri consilio, aptum fuit Terentii, optimeque hoc inventum ab eo ut delectationi esset ea inter Thaidemque Chremetemque scena audientibus. Quam descriptionem a Terentio ortam esse iterum iterumque adnotando testis evasit Donatus; afferri liceat eius adnotationes ad IV, 5, 10; IV, 6, 7; IV, 6, 14; IV, 6, 16; IV, 6, 31. Quod insequenti scena Chremes neglegitur mirum non est; in ea enim Gnatho Thrasoque satis delectationi sunt.

Hoc afferre liceat, Terentium ut augeret severis intermistis sententiis vim comoediae proverbia nonnulla inseruisse. Quo in numero sunt IV, 6, 23 *Tu quod cavere possis, stultum admitterest,* et IV, 6, 24 *Malo ego nos prospicere quam* (hunc) *ulcisci accepta iniuria;* iamque hoc loco addo IV, 7, 19 *Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.*

IV, 7 Colacis esse apparet sed ita a Terentio translatam, ut de suo addiderit quae Thais, miles, Chremes inter se colloquuntur; quamquam non dixerim ipsum eum haec invenisse, sed nescio cuius personae partes sententiasque quolibet loco actas hic eum inseruisse putaverim; certe qualis adest scena a Terentio composita. Ceterum de hac scena idem fere valet quod supra (III, 2) adnotavimus. Ut paucis singula videamus, priores 20 versus e Colace transtulit poeta interpositis, ut variorem redderet orationem, paucis a Thaide dictis. Recte adnotavit Benfey, in ea, quam Terentius sequeretur fabula, non Pyrrhum sed Alexandrum fuisse; Menandro enim Pyrrhum afferre non licuisse, quia is post Menandrum gloriam peperisset; suppositum eum esse a Terentio cum Romanis notior esset. Inde a v. 20. colloquium Thrasonis Chremetisque Pamphilam suam sororem civemque vindicantis a Terentio compositum.

---

[1]) Grauertus hoc rusticum ad domicilium pertinere vult eoque dissentire putat Terentium Menandrumque, quod Menander agricolam eum, Terentius, quamquam agros Sunii haberet, tamen plerumque in urbe fuisse describat.

Actus quinti priores sex scenas ex Eunucho sumptas esse apparet. Quibus scenis ad eum finem perducitur fabula, ut paucis, quae V, 8 adnuntiat Chaerea, scenae sextae additis concludi possit. Apparet scenas 7. et 8. additas esse a Terentio, ut parasitum militemque iterum in scenam produceret Thrasonisque illusi stultitiam vanitatemque ostenderet. Neque vero omnia uno eodemque atque apud Menandrum modo agi puto.

Sed antequam de hac re dicam, pauca de scholiastae errore afferre liceat. Ad V, 2, 66 adnotat: *Non est additum cuius frater, utpote in re manifesta.* Ex iis quae ad V, 2, 69 adnotantur: *Manifestum est, cur meretrix docta capiendorum iuvenum praeire velit Chaeream et in consequendo ipsa sit tardior. Vult enim liberum sine arbitris cum puella esse colloqium et licitum amorem. Nisi forte putamus Terentium haec sine causa fecisse, qui sit artificiosissimus poeta. Nam neque ipsa ingreditur cum Chaerea neque ingredi simul permittit Phaedriam.* Phaedriam Chaereae fratrem v. 66. ab eo significari apparet. Sed quid sibi velit hoc loco Phaedria adveniens, cui in scena nihil agendum sit, non satis intellegitur. Quamquam Donatus explicat, qua de causa Thais appropinquare fratrem renuntiet; ea enim re moveri Chaeream ut domum intret Pamphilamque conveniat. At non prodit Phaedria quasi advocatus; neque Terentii est ita tantum personas nominari ut in scenam non prodeant. Accedit quod domi suae eum esse demonstrat Parmeno *visam domum* exclamans V, 7, 12. Phaedria igitur, postquam IV, 4, 49 domum cum Davo intravit, non exiisse in scenam putandus est, antequam V, 8 a Parmenone arcesseretur. Non dubitandum igitur puto, quin Thais hoc loco, fratrem cum dicat, significet Chremetem advenientem, Chaerea oculis ad advenientem non conversis intellegat Phaedriam. Hoc cum scholiasta quidam minus perspexerit, etiam Thaidem Phaedriam significare ratus adnotavit: *neque ipsa e. q. s.* Quae cum ita sint haec verba nihili aestimanda delendaque puto.

Sed quid est causae quod Thais domum intret neque nutricem in scena exspectet, et quam ratione probabili adduci putes Chaeream, ut Phaedriam fratrem advenire existimet, quuum v. 52. satis perspicue Chremetem adventurum Thais nuntiaverit. Iamque vide, quam non cohaereant quae scenae tertiae insunt verba 'move te oro e. q. s. usque ad exspectat domi' (v. 2—8) neque cum iis quae antecedunt neque quae sequuntur Pythiae verbis. Id denique moneo, quam ridicule Chremes Sophronam per scenam agat quamque inepte dictum

sit illud nutricis 'moveo'. Mutasse igitur hoc loco Terentium, Menandrum ita composuisse puto ut in ipsa scena praesente Chaerea Sophrona a Chremete arcessita signa perspiceret atque Pamphilam civem esse agnosceret. Ita igitur res acta est, ut post Pythiae verba quae sunt 'apage te' (V, 2, 65), cum Chaerea Thaisque in scena essent, Chremes adveniret cum nutrice satisque longa oratione in ipsa scena de signis et agnitione puellae nutrix ageret, omnibus deinde illustratis cum Chaerea et Thaide domum intraret ut etiam Pamphila civem se esse certior fieret, relinqueretur sola Pythias. Hanc ipsa in scena agnitionem omisit Terentius ea fortasse de causa, ut nimiam vitaret longitudinem spatiumque haberet Thrasonem Gnathonemque iterum producendi. Eius Menandri scenae loco interposuit V, 2, 66 usque ad finem et V, 3, 2—8. Minus apte eum fecisse iam supra adnotatum; id minime probandum, pauca illa Sophronae Chremetisque eum Pythiae secum colloquentis sermoni immiscuisse. Namque ut omittam, Pythiam illos duos advenientes videntem paucis verbis alloqui oportuisse, mirum videtur quod, quam iniit disputationem, usque ad verba 'supposuit nobis' perductam v. 9 *virum bonum*, quamquam interruptam eis, quae Chremes disseruit, tamen, quasi nil interfuisset, persequitur.


Paullum mutasse Terentium etiam eam fabulae partem, qua senex pater Phaedriae prodit, intellegas iis quae Donatus adnotat ad V, 5, 31 *Manifestius hoc Menander explicat, iampridem infestum meretrici senem post corruptum ab ea Phaedriam; nunc demum se inventa occasione vindicaturum.* Apud Menandrum igitur ipse senex in scena magis saevit; quam longiorem eius orationem ita vitavit Terentius ut servum de consilio senis referentem faceret.


Iam omnibus quae fabulae insunt difficultatibus solutis id tantum restabat, ut eodem fere modo, quo Andriae ultima scena fit, Phaedria certior fieret etiam sibi amorem prospere evenire. Quas ad novas res renuntiandas quem aptiorem putes Chaerea ipso: Apud Menandrum igitur is erat exitus ut Chaerea domo egressus referret de sua felicitate Phaedriaeque quid accidisset nuntiaret. Eadem haec insunt V, 8, 1—23 omissis paucis Gnathonis verbis: 'Audin tu quid hic ait' V, 8, 7, et: 'Numquid Gnatho dubitas quin ego nunc perpetuo perierim? Sine dubio opinor' V, 8, 13. At Terentio id agenti, ut quam maximus personarum confluxus in scena esset, duae illae parasiti militisque personae ius suum exsecutae non esse visae sunt. Thraso in fine actus quarti quamvis miserrime scena excesserat nihil apud Thaidem consecutus; neque tamen parasiti

ingenium atque natura satis erant descripta neque tertius fabulae nodus ita erat solutus ut satis illusus esset miles. Quapropter denuo hi duo inducuntur, miles qui a Phaedria petat quamvis minimam Thaidis gratiam, Gnatho ut omnem assentatoris humilitatem aperiat. Quae de his duabus personis aguntur apparet de Colace translata, quamquam ne hoc quidem loco Terentium verbum de verbo sed sententias tantum ingeniique descriptiones transtulisse putaverim.


Quo sit loco initium contaminationis, satis est perspicuum. Ac scena 7. quidem tota Colacis est. Pauca quin mutata sint non dubitandum. Namque adnotat Donatus ad V, 7, 4: *Hic Terentius exprimit consuetudinem in qua ignavis rationes criminum et exempla suppeditant. Nam sic et supra de Pyrrho.* Si ex eo quod supra adnotavimus (IV, 2) Terentium Pyrrhum in Menandro non legisse, concludi licet, aliud exemplum hoc loco apud Menandrum erat.

Scenae deinde 8. priorem usque ad v. 23. partem Eunuchi esse apparet, sed mutatam a Terentio; Parmeno quae interloquitur ab eo addita, nec minus interposuit quae Thraso et Gnatho inter se loquuntur. Quae e Colace transtulit incipiunt v. 23. Neque vero satis artificiose poeta, postquam Phaedriam exsultantem gaudio depinxit, tacentem eum facit dum Thraso cum Gnathone colloquitur; quis enim putaverit Phaedriam tam diu siluisse? Eius quod ad finem est inter Gnathonem, Thrasonem, Phaedriam, Chaeream colloquii, quantum e Colace desumpserit quantumve de suo addiderit, non diiudicandum. Addidisse eum censeo fere omnia quae ad Thaidis amorem militi licitum pertinent, nisi forte putes, etiam in Colace militem iactantem ab ea quam amabat deceptum esse. Pertinent certe ad hunc locum ea quae Donatus adnotat ad III, 1, 56: *His versiculis personam militis et Gnathonis continentibus οἰκονομία inducitur, quod verisimile fit, facile militem ferre posse anteponi sibi Phaedriam, qui se semper intellexerit non amari. Nam si hoc tollas, aut excludendus est Phaedria aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus.* Recteque adnotavit Benfey, ab ipso Terentio, quod convenit, videri inventum, ut miles pecuniam Phaedriae amori praeberet.




U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046607532


131534


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046607532